Dixit Nestor magnus qui erat amicus abbatis anthonii Non sunt omnia opera
equalia quia scriptura dicit abraham hospitalis fuit et deus erat cum illo et
helias diligebat quietem et erat cum eo deus et dauid humilis erat et deus
erat cum ipso quod opus ergo uides animam tuam secundum deum velle hoc fac et
custodi cor tuum ut viuas

Dixit abbas pastor quod paupertas et tribulacio et discrecio sunt operaciones solitarie
uite quia si hee tres uirtutes sint in homine deus habitat in eo ut fuerunt hii tres
viri noe iob daniel noe personam habens nichil possidencium iob autem personam est tribulacionum
daniel vero discrecionum Item duo sunt que si abicere potes te liberare ab hoc
mundo scilicet carnalis repausacio et vana gloria Item abbas ysidorus dixit Esto con-
temptibilis et voluntates tuas post tergum tuum proice et esto liber et securus a
secularibus curis et habebis requiem.

Hec sola est hominis iusticia ut semetipsum reprehendat tunc enim iustus est cum sua peccata
condempnat et si alius homicida fuit dicat ego autem omni hora homicidium
committo me ipsum interficiens Iste quidem hoc solum peccatum fecit tunc uidebit se
minorem esse tocius creature Et ille horret mala que sua peccata ipsa horret
et omnem fratrem suum benificat et diligit Quia cum ymaginem meam prospexero et repre-
hendens me inuenit ymago fratris mei apud me venerabilis si quando autem me
laudauero tunc fratris mei ymaginem prauam aspicio Si non oportet sic indignari
quemcumque antequam deus iudicet illum sed magis contra me adducere mea et de ipsis co-
gitare et rogare deum ut indulgeat michi Item si uideris aliquem peccantem ne
mittas culpas in eum sed in illum qui impugnat eum dicens quia iste nolens
victus est et inquire dei solacium quia omnes decepimur et uide ne veniat tibi
temptacio si fratrem tuum in tempore temptacionis despexisti

Dixit abbas [illegible] Melius est carnes comedere et bibere vinum quam comedere
in vituperacione carnes fratrum sicut enim susurrans serpens euam de paradiso
expulit ita qui fratri suo detrahit non solum suam sed et audientis animam perdit
Item omnis labor sine humilitate vanus est. Humilitas vero precursor est caritatis
sicut iohannes precursor erat ihesu omnes trahens ad eum ita et humili-
tas omnes trahit ad caritatem et ad ipsum deum quia deus caritas est

Quidam magnus senex discipulo suo dixit Non contristeris ex infirmitate vel
plaga corporis summa enim religio est ut in infirmitate quis gratias deo agat
si ferrum es eruginem per ignem amittis si vero aurum es per ignem probatus a
magnis ad maiora procedis Ne anxieris ergo frater si te deus in corpore vult
torquere tu quis es qui moleste feras sustine ergo et roga eum ut que ipse vult
illa concedat

Abbas pamon cum uidisset mulierem meretricem in ciuitate plorabat grauiter et requisitus
cur plangeret dixit Due res me ad has lacrimas compulerunt una perdicio illius
alia quia ego tantam curam non habeo placendi deo quantam hec habet ut
hominibus turpibus placeat

Abbas anthonius cuidam fratri sic dixit Tria demandabo tibi custodi et deo placebis
Quocumque vadis deum pre oculis habeto Et quodcumque opus exerces sume
de diuinis scripturis exempla Et in quocumque loco resideris ne inde citius
mouearis sed paciens in eodem loco consiste Hec enim tria custodiens sal-
uus efficieris Item pamen homo si se ipsum reprehendat ubique sit persistere poterit
Item quicquid enim bonum fecerit homo ne exultet
se magnificat [illegible] perdit illud Item zenon in syria dixit Egipcii virtutes
quas habent celant et uicia que non habent manifestant Syri autem
et greci virtutes quas non habent predicant et vicia que habent abscondunt
Item antiqui non migrabant cito de loco ad locum nisi forte [illegible]
esset qui contristaret [illegible] cum et satisfaciens ei per omnia non potuissent cum
placare Item si contigisset ut a pluribus laudarentur vel si in temptacione fornicacionis
[illegible] Item sicut thesaurus manifestatus minuitur ita et virtus detecta publicata
[illegible] Item sicut cera a facie ignis soluitur ita et anima per laudem resoluta perdit [illegible]
Item sicut [illegible] grande aliquid feceris [illegible] et elata [illegible]
sustine [illegible] tunc [illegible] dissoluit Item non confidas in te ipsum donec egrediaris de corpore tuo
[illegible] mortuus est [illegible]
[illegible] qui mortuus sis mundo huic [illegible]

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 114, 1v – Collection of excerpts
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-oeoe/218/2930)